

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Mala, quæ homines vtiliter exercent, non murmurationem, sed gratiam mereri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Hæc plaga longè tristior fuit, quām si vieti & sub jugo missi fuissent, aut quamcumque etiam durissimam seruitutem seruijissent. Ut ergo tandem justa caussa & vera religio triumphare coadi sunt vel inuiti Israëlitici Dei omnipotentiam agnoscere, & Arcam cum donarijs mala à Numine illata testantibus, honoris cè remittere. Sic, tempore Iudicium, diuina sapientia bellis & iustitiae pariter, & gloriæ suæ satisfecit.

C A P V T L X I .

Regum Principumq; peccata, in sacris historijs bello punica.

Ralamitates publicas multi traducunt; multi communibus ac priuatis ærumnis in tristitiam coniunctiuntur; cladem luculentis multi irascuntur; & veluti Hecuba in canem versa, aguntur nunc ad Deum, nunc ad homines coniuncti lacerandos. Hi nimur male comparatos habent animos, quia in lege Domini non meditantur, neque sunt in charitate radicati. Aliter cogitant, quorum animos cælestis magister Spiritus Dei instruxit. Non indignantur, quia in aduersis benevolentiam agnoscunt. Non traducunt, quia sciunt iustitiam diuinam. Neque mœstitia contrahuntur, quia vident virtutis occasionem exercitiumque sibi offerri. Enimvero neque mirantur quidem, quia nihil illis nouum atque insolitum videtur contingere si res humanæ turbantur. Perspectum enim habent, homines in hæc mala conditos, & à primordio mundi semper in terris fuisse calamitates. Meminerunt igitur, Numini ex æquo omnes debere patientiam, gloriam, gratiasque, quod seueris, sed iustissimi iudicijs delicta puniens, fideles suos potius temporarijs exerceat disciplinis, quām supplicijs relinquat æternis. Facile iram omitit, qui gratiam factam agnoscit. Quisquis benevolentiam paternam, inter flagella, didicit amare, cùm sentit ictus, debitorem se fatetur, non præstat murmuratorem. Denique discipuli Christi non sunt, qui nesciunt sibi à Magistro suo promissas esse persecutiones. *Non veni pacem muttere, sed gladium, ait.. Qui tempora Matth. 10. 34.* nostra mirantur tamquā iniqua, qui accusant tamquam infelicia, qui deplorant tamquam calamitosa, animo respiciant ad secun-

I.

S l s s 2

la an-

la antiqua cluionibus inundata, incendijs infumata, bellis exercita, pestilentij exagitata. Si recte rationem inimus, pene continuo fuere in terris eiusdem modi malorum procellae, raris malis alcedonijis mitigatae. Quid mirum? si Deus flagella non subtrahit? etiam homines sua scelera continuauerunt. Quod sanctum dicum tempore factum ostendimus. Idem factum est etiam tempore Regum.

II.

2. Reg. 15.17.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 23.

3. Reg. 31.4.

Saul primus inter reges Israëlitarum, cum parvulus esset in oculis suis, quā mirabilis prouidentia Numinis ad sceptrum promotus est? Ob peccata Amalec iussus bellum facere Amalecitis; bellum fecit, sed non eo, quæ jussus est, modo, idcirco cum tota posteritate sua priuatus est iure regnandi, amissaque & filio primogenito, & exercitu, vitam quoque amisit. Praeceptum à Deo datum erat: *Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos usq; ad intermissionem eorum.* Peccatum fuit: quia *versus ad pradam est, & fecit malum in oculis Domini.* Secuta est poena: *Pro eo ergo, quod abieciisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex.* Iam meruerat regno spoljari, nec tamen desinebat peccare Saul, & delicta delictis addere, itaque Philisthym pugnabant aduersum Israel: & fugerunt viri Israel ante faciem Philisthym, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe. Irrueruntq; Philisthym in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionathan, & Abinadab, & Melchisua filios Saul, sotumq; pondus prolixius versum est in Saul: & consecutis sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer a sagittarij. Quia autem unum ei vulnus non sufficiebat, Ajax factus, ipse in gladium suum incubuit. Mortuus est ergo Saul, & tres filii eius, & armiger illius, & uniuersi viri eius, in die illa pariter. Diligenter & clare illi Samuel Domini voluntatem indicarat. Quia ad Prophetas, ad videntes, ad eruditos, ad sacerdotes pertinet instruere, admonere, exhortari, opportunè atque importunè increpare, legem & mandata Domini exponere, ne Reges & Principes in iram Dei incurvant; ut voluntate diuina cognita, errantibus veritas patefiat, timidis addatur fortitudo, malevolis charitas restauretur, stantibus maneat perseverantia inconcussa; denique ut protectio paterna Numinis non subducatur. Quod sicubi peccatum est, Samuelis exemplo, nullius offensa metui debet, ac, dum hominem veremur,

Deus